



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Goar. Conf. 6. Iulii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

426 VITÆ SANCTORUM. 6. Iulii.  
ad Religiosæ vitæ amorem vilissimaque  
in hac munia excitos nobilissimos juve-  
nes laudo, piscatum priori longè præfe-  
rendum. Cæterum astra sua WIL-  
HELMUS propioribus oculis aspexit an-  
no Christiano M. XCI. Ex Trithemio.

*Elemosynam, quantum possumus, &  
quamdiu vivimus, & ipsi habere, & aliis  
impendere festinemus, ut securi possimus  
in die Iudicii dicere: Da Domine, quia  
dedimus: nos fecimus quod iussisti, & im-  
ple quod promisisti. B. Cæsar. hom. 15.*

S. GOAR. CONF. 6. Iulii.

**I**ure meritissimo inter Apostolos suos  
GOAREM numerant Treverenses, ut  
quibus ille superstitione implicitis inter-  
primos DEUM nuntiavit. Sed dum il-  
lum æquis auribus vel maxime audivit  
populus, iniquus invidia oculis specta-  
vit. Quare more suo subornavit, qui  
apud Archiepiscopum innocentiam ejus  
insimularent. Gemini erant è fraudibus  
& mendaciis compositi. Eos GOAR ad  
se venientes, ut vindictam Christianam  
sumeret, amice accepit & ad mensam  
invitavit. Sed eadem invidia, quæ non  
nisi infelicitate GOARIS pasci, nec  
bibere nisi hujus sanguinem avebat, re-  
spuit aliis famem aut sitim pellere. Quare  
ex itinere defecissent scilicet, nisi sem-  
per ad vindictam vigilans GOAR feras  
Christi

6. Iulii. VITÆ SANCTORUM. 427  
Christi imperio advocasset, & earum  
lacte recreatos hostes animam sibi fecis-  
set debere. Ad tribunal Archiepiscopi u-  
bi ventum, luce clarius meridianâ appa-  
ruit innocentem esse GOAREM, quan-  
do pallium suum in ipsius solis radiis sus-  
pendit. Adhæc ex puero projectio cum  
jussu Archiepiscopi nomen parentis qua-  
siisset, ecce facundissimus infans linguâ  
digitoque ipsum Archiepiscopum pro-  
didit. Erat hoc scilicet absolvere reum &  
Iudicem damnare. Quare populus ad  
infulam GOAREM velle vocare, & cum  
respueret, vim amicam inferre. Sed ab  
hac iterum illum ægritudo absolvit,  
quam precibus à cælo extorsit. Prestare  
credidit morbo quàm ambitione labora-  
re. Ex Surio.

*Procul contentiones, procul lites, procul  
maledicta mittantur, & quia laqueus est  
mortis lingua susurronis & bilinguis,  
parcat unusquisque animæ suæ, ne in sup-  
plicium suum vincula sibi mortis innectat.  
Ama pacem & tranquilla sunt omnia.  
S. Pet. Chrysol. serm. 53.*

3. GODELEVA MART. 6. Iulii.

Quoties fallit Amor, positâque lar-  
vâ tyrannum se ostentat? Ecce hic  
etiam dies exemplum oculis exhibet.  
Adverte animum quisquis blanditiis e-  
jus credis neque fallacias caves. De  
peri-